Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 617
Quelle:
Copyright:

praefert: *Hyeronimi. Ad. Virgines. Hemonenses.* et incipit: *Carte exiguitas indicium* &c. Dabo hujus quoque ab Editis differentia:

Edit.	Cod.
Vobiscum volebam.	Fortasse rectius *nolebam*; queritur enim deinceps *Hieronymus* de Virginibus, ad quas scribit.
Cogebat tacere.	*Cogebar tacere.*
valuerit prohibere.	*valuit prohibere.*
cum ancillis dei peccatori	*cum ancillis dei et peccatore.*
lavit — edunt.	*lavat — edunt.*

Praeterea *fol.* 60. in *Paulae* Epitaphio versus *ult.* fortasse melius sic legitur:

Munera portantes Homini, Regique, Deoque,

ut quidem adludat *Hieronymus* ad illud *Juvenci* Presbyteri, quod ipsemet excitat L. I. in *Matth.* c. 3. edit. *Vallars.* T. VII. *col.* 14.

Tus, Aurum, Myrrham Regique, Hominique, Deoque &c.

quam, ut est apud *Vallars.* T. I. *Epist.* 108. *col.* 719.

Munera portantes Hominique, Deoque dedere.

Huic quoque Parti subjecit Censor: *Finiui hanc secundam Partem legendo et emendando die XXVI. July 1470.* Verum pluribus locis vacuis Graeca inscribere neglexit.

Pars III. hoc titulo gaudet: *Sequuntur Rubrice Tercie Partis Scilicet Invectivarum*, et Opuscula complectitur numero XLIII. partim Epistolas, partim Tractatus polemicos, puta contra *Helvidium*, *Jovinianum* &c. quae omnia T. I. et II. *Vallarsii* continentur praeter subposita tria *Fidei Symbola*, quae ille in T. XI. rejecit. Atque ab uno horum *Pars* praesens ita inchoat: *Diffinicio Fidei Symboli Nyceni Concilii Translata Per Beatum Hyeronimum.* Apud *Vallars.* T. XI. *cit. col.* 149. *Explanatio Fidei ad Cyrillum* audit, hoc initio: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium visibilium et invisibilium Creatorem* &c. Variat et hic in commendationem *Codicis* nostri lectio, ut patet e sequenti specimine: